



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VI. Si ecclesia non vacans alicui a patrono concedatur, postea ea vacante alio instituto, posterior praeferri debet, & laicus etiam loco religioso ius patronatus licite potest conferre.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

archiepiscopum abbatissa accessit, & apud eum querimoniam deposuit de ipso. Archiepiscopus vero, quia visum sibi erat, quod factum militis super presentatione præfata nullius esset momenti, prædicto episcopo in vi obedientia iniunxit, vt personam illam reciperet, & in possessionem induceret, quam abbatissa duxerat præsentandam. *Et infra*: Restitutione autem facta, causam audiat, ita quod si vobis constiterit, quod præfato militi præscripta villa fuerit, non excepto iure patronatus, ad firmam concessa, vel antequam de iure patronatus inter abbatissam & militem controuersia esset suborta, præfatus Vu. de Leicester in præscripta ecclesia per institutionem episcopi ad presentationem militis fuisset institutus, ei, dummodo alias idoneus fuerit, ecclesiam ipsam adiudicetis, ita quod si abbatissa obtineat aduersus militem, illi de temporalibus debeat respondere.

CAP. VI. *Idem VVintoniensi episcopo.*

Illud prætereundum non duximus, super quo te intelleximus dubitare, quod si aliquis laicus inconsulto episcopo, ecclesiam non vacantem concedat alicui religioſæ domui, & postea cum vacauerit, ad præsentationem eius laici aliquis clericus ibi fuerit per diœcesanum episcopum institutus; prior concessio per secundam concessionem, quominus rata habeatur, infirmari non potest: nec debet aliquatenus impediri, cum illa concessio de iure nullius possit esse momenti: tum quia de re non vacante facta est, tum quia laicus sine auctoritate episcopi nemini potest ecclesias dare, licet religioſo loco ius patronatus conferendi liberam habeat facultatem. Si vero ius patronatus, ecclesia vacante, religioſo loco contulerit, & aliquis postea sine præsentatione fratrum eiusdem loci fuerit in ipsa ecclesia institutus, eius institutio secundum rigorem iuris est irritanda.

CAP. VII. *Idem VVigorniensis episcopo.*

Querimoniam prioris & fratrum de Lauch nobis literis destinatam audiuiſimus, quod R. quondam de Hereford comes, ius quod idem prior & fratres in ecclesia de Vuica, ex ordinatione R. de \* Laci fundatoris ecclesie